

Domino ius est ad omnes fructus rei propriæ, ad accessoria, ad possidendum corporaliter, ad meliorandum, destruendum, ad vindicandum tum a bonæ tum malæ fidei possessore.

LXXXV. Spectata præsentis hominum indigentia et caractere morali *Pacta* erant necessaria, quorum nomine Promissionem acceptam intelligere licet.

LXXXVI. *Pacta* valida obligationem coactivam pariunt: requiritur vero ad valorem pacti consensus mutuus physice et moraliter possibilis, actu existens, sufficienter declaratus, in eandem rem easdemque circumstantias loci, temporis &c. conspirans.

LXXXVII. *Pacta dolo* superstructa, metu iniusto extorta, aut ex errore substantiali invincibili profecta iure naturæ vitiantur.

LXXXVIII. Possunt quidem pacta sub variis conditionibus valide iniri; quodsi tamen adiecta conditio impossibilis aut turpis sit, valore naturali pactum destituitur; et impleta etiam conditione turpi altera pars non obligatur.

LXXXIX.